DE
SUDORE SANGUINEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XVI. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCL

PUBLICE DEFENDET

MICHAEL LOENARTZ

ERNSTENSIS.

OPPONENTIBUS:

EBERH. PETERS, MED. ET CHIR. DR.
PETR. HENR. BECKER, MED. ET CHIR. DR.
FRANC. SIMROCK, MED. ET GHIR. CAND.

BONNAE.

LITTERIS L. ANSCHELII.

MDCCCL.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE

MED., CHIRURG. ET PHILOSOPH. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTERAR. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

SUMMEQUE VENERANDO

NEC NON

MAGISRTIS

SUIS CUNCTIS

MERITISSIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum in eo sim, ut hunc libellum literarum formis describi curem, facere non possum quin fatear, quam paene nihil ad hanc, quam mihi proposui, rem explanandam fecisse mihi videar, in cuius cognitione vel ii, quibus palma artis medicinae deferri solet, tanquam peregrini et tirones versantur. Etenim, quod mirandum est, huius morbi memoratu dignissimi eiusque ne rari quidem apud eos, qui praeclare de pathologia scripserunt, vix mentio fit; nedum accuratius pernoscendo atque illustrando sudori sanguineo operam dent, leviter morbum eiusque symptomata, quae omnium, qui vero indagando delectantur, studia impensa excitare debent, transeunt et tantummodo perstringunt. Quo facilius fore, ut ignoscatur virium mearum tenuitati, puto, si non absolute et perfecte de quaestione disseruero, in qua doctissimi viri paene nihil elaborarunt. Verum enimvero, si etiam erroribus, qui forsitan huic

libello insunt, experientium hominum studia hunc ad morbum pernoscendum evocaverim, plus me assecutum fuisse fatear, quum spe et cogitatione conceperim. Sed haec fortasse nimis alta speraverim, quoniam haud dubie haec quoque scriptiuncula plurimarum dissertationum in numero erit, quas tempus aut praeteritum vidit aut futurum videbit moris legisque gratia compositas, quae quidem eum, qui doctoris gradum assequi velit, dissertationem aliquam conscribere iubet.

De sudore sanguineo.

Sudores morbosi non sine iure in tres praecipue dividuntur classes, quarum prima nimium adauctos, secunda diminutos, tertia autem sudores contra normam mixtos continet. Morbi, qui ad ultimam hanc classem pertinent, antea fere ignoti, nostris primum temporibus magis magisque eam ob causam in lucem prodeunt, quod chemiae et microscopiae usu et auxilio rerum intimam perlustrare didicimus naturum.

Illi tantum horum morborum, quos et rei medicae plane ignotus, oculis suis facillime cognoscere potuit, dico ii, in quibus color sudoris mutatur, iam in libris veterum scriptorum saepius descripti sunt.

Ita Borellus [1]) et Paulinus [2]) de virido, Bar-

1) Histor. et observat. med. Phys. cent. 2. observat. 54.
2) Paullini cent. observat. 38.

tholomaeus [1]) de nigro, alii autem de sudore flavo [2]) et coeruleo [3]) scripserunt.

Sudor autem coloris anomali, qui saepius, quam ceteri invenitur, quique et pristinis et nostris temporibus saepissime describebatur, sine dubio est ruber, vel sanguineus. — Et hicce est, de quo in hoc libello disseretur. Primo loco autem et antequam de illius morbi natura loquar, sudoris sanguinei exempla nonnulla, ut in variis scriptorum medicorum libris inveniuntur, praemittenda, esse videntur.

Iam Aristoteles [4]) scripsit sudorem sanguineum in febribus pernitiosis interdum exoriri toto in corpore.

Puellae cuidam, quae timore quodam permagnis pectoris angustiis affecta erat, sanguis per

---

1) Bartholomaeus: Acta Hafn. observ. 70. Ephemerid. Nat. Cur. Dec. I. ann. 2. observ. 19.

2) Ephemerid. Nat. Cur. Dec. I. ann. 6 et 7. observat. 78.

3) Conradi Anat. pag. 292. Fontenelle: »Sur les sueurs bleues«; Journal de chemie medicale. vol. I. pag. 330. Billard: Froriep's Notizen Nro. 32.

4) Histor. animal. libr. III. cap. 19. tom. pag. 620.

illaesam et scrobiculi cordis et inter mammas cutem guttatim profluxit [1]).

Bertholinus [2]) enarrat sesse feminam quandam cognovisse, quae tempore, quo pareae eius menses apparerent, semper maximo capitis dolore laborasset et, quum vel manum sinistram, vel malam dextram fricaret, ex harum regionum cuti guttas aliquas sanguinis facili modo provocasset.

Musgravius hocce profert sudoris sanguinei partialis exemplum: Servus quidam, qui omnino nullis ex nimio sanguinis affluxu exortis malis laboravit, a prima pueritia omni mense et quidem tempore certo e dextrae manus pollice et variis simul ex locis per illaesam epidermidem primum octo fere uncias, deinde autem, quum decem annos natus erat, libram dimidiam sanguinis emisit. Ceterum servus optima tamdiu usus est valetudine quamdiu haemidrosis illa regulariter redibat. Quum autem postea regionem illam, e qua sangis exsudare solebat, cauterio quodam fricaret, ita, ut sanguinolatio illa non amplius apparuisset, aegrotavit et mox deinde apoplexia extinctus est [3]).

---

1) Decas prima vol. act. med. Berolinens. tom. IV cap. 3. pag. 69.
2) Histor. rar. cent. I. histor. XIII.
3) Acta Lipsiens. erudit.

Benivenius virum triginta sex annorum vidit, in cuius abdominis regione hypochondriaca dextra omni mense e cuti haemidrosis apparuit.

Locus, e quo sanguis exudavit, tam parvus fuit, ut uno digito tegi potuit. Compressione adhibita, haemorrhagiam aliquamdiu prohibere, sed omnino finire antea non licuit, quam libra sanguinis emanasset [1].

C. Pezoldius haece enarrat: Vir quidam, saxaginta sex annos natus, corporis valde robusti, per viginti duo annos tempore appropinquantis aequinoxii semper congestionibus sanguinis ad caput et permagnis exinde capitis doloribus vexabatur.

Tunc ad haec mala haemorrhagia cutis advenit. Nam sanguis serosus et ex regione axillari et ex interstitiis digitorum pedum guttatim profluxit, quamvis illorum regionum epidermis incolumis fuit. Quum deinde quotiescunque ver appropinquaret semper in viro illo venaesectio institueretur, sanguinolatio illa postea non apparebat. Si autem remedium illud negligeretur, exsudatio ista sanguinis iterum redibat [2].

Iuveni cuidam, quem ceterum sanum habuisset,

---

1) Medicus: »Geschichte periodischer Krankheiten.«
2) Observat. med. chirurg. select. observat. XLVI.

quotiescunque cursu vel ullo alio modo valde laborasset sanguis serosus toto in corpore e cuti guttatim exsudavit. Qui sudor sanguineus per plures annos duravit, primum quidem iuvenis valetudine inturbata, deinde autem aneurysma exortum est internum quoddam in eo, quo postea aegrotus mortuus est.

Götzius de puella quadam scripsit, cui sanguis interdum e superficie dorsali manus sinistrae exsudavit.

Cumes in femina quadam gravida omnem mensem e genu sinistro hamorrhagiam exorire vidit[1]).

In libro illo gallico, cuius titulus est: „Dict. des sciences med.“[2]) haece scripta sunt:

„Tous les médecins savent que Charles IX fut atteint d'une hématopédèse universelle peu de temp avant de mourir.

On fait mention, dans les Transactions philosophiques, d'un enfant qui rendit successivement du sang par le nez les oreilles, le derrière de la tête; ensuite par les épaules, le milieu du corps; enfin

---

1) Commerc. Norimb. 1741. pag. 263.
2) l. c. Tom. XX. p. 344.

les orteils, ies doigts de l'une et de l'autre main et par les articulations des bras.

Florentin Lendeau dit que dans une ville prise d'assaut, une religieuse qui était tombée dans les mains d'une soldatesque effrénée, fut si vivement frappée de sa position, qu'elle mourut subitement, baig née d'une seur de sang."

Wilson in eius libro; quem scripsit de cutis morbos, enarrat se feminam quandam vidisse, in qua omni die decimo quarto fluidum quoddam cruentum ex variis simul locis faciei exsudaret [1].

Haecce sudoris sanguinei exempla enumerata, quibus facile magna copia aliorum et a veteribus et a recentioribus scriptoribus medicis observatorum adiungi possit, si quis forte rem in dubium vocet, satis dilucide demonstrant, sanguinem re vera per cutem illaesam interdum exsudare. Quod quidem demonstrandum hoc in libello conscribendo non mihi proposui. Verum hac praecipue de causa exempla supra descripta composui, ut ex iis de natura huius morbi memoratu dignissimi, concludatur. Qua tamen in re non possum, quin concedam, illa

---

1) D. Krankheiten der Haut von Erasmus Wilson. Aus dem Englischen übersetzt von Dr. Schroeder. Leipzig 1850. p. 470.

me ratione vix certum aliquid assecuturum esse, quum certe sciam, illis in morbis ante omnia chemia et microscopia adhibitis, et sanguinis et cutis ipsius conditionem diligentissime esse perscrutandam. Sed huic rei, nisi fallor, nemo hucusque operam dedit neque mihi ipsi hanc viam ingredi licuit, quum sudorem sanguineum, non ipse viderim. Itaque satis me habere necesse est, tenuibus et infirmis, quae in promptu sunt, auxiliis (id est haemidrosis exemplorum perlustratione) lineamenta quaedam pathologiae et therapiae sudris sanguinei ducere.

De pathologia.

Sudor sanguineus est transpiratio sanguinis per epidermidem illaesam. Modo totum per corpus aequabiliter exoritur, modo in parte tantum aliqua corporis vel variis simul in locis: in facie, in thorace, in regione axillari, in dorso manus etc. apparet. Universalis illa forma multo rarius invenitur, quam haec, quae ad partem solam pertinet. Saepius quoque in feminis quam in viris existit, quum crebro e mensibus anomalis vel impeditis exoriri videatur. Praeterea, ut omnes ceterae haemorrhagiae, haemidrosis nunc activa est, nunc passiva. Atque omnes ii sudores sanguinei sine dubio

activi sunt nominandi, qui vel e plethora universali, sanguinis congestionibus, convulsionibus, vel ex animi affectibus valde adauctis nasci solent. „L'impression subite et profonde que font certaines passions tristes, telles que la craint, la colère, l'idée d'un danger immirent, l'annonce d'un arrêt de mort etc. peuvent également donner lieu à des hémorragies coutanées [1].“ Passivi autem ii, qui aut in malignis morbis febrilibus, aut in iis, in quibus omnis sanguis dissolvitur, nascuntur. Saepissime etiam vicarientes existunt. Tales apparent sanguinatione haemorrhoidali prohibita, praesertim vero, id quod nonnulla exemplorum supra enarratorum demonstrant, mencibus deminutis vel omnino impeditis. Vere critici autem sudores sanguinei ii haud dubie sunt habendi, qui e congestionibus sanguinis ad quodlibet corporis organum pertinentibus originem ducunt, qui quidem creberrime maxime salutares inveniuntur. Prae ceteris autem rebus in eruenda huius morbi natura et causa, ut iam supra dixi, sanguis et cutis maxime sunt respicienda. Quis enim est, qui dubitet, quin, his integris et sanis, sudor sanguineus ullo modo possit exoriri? Qua in disquisitione sanguinem priori loco ponendum esse puto, quum saepissime, ne dicam semper, in eo causam primariam exsudantis

1) Dict. des sciences med. Tom. XX. p. 344.

sanguinis positam esse credam morbumque cutis, ut in hemidrosi adest, ex sanguinis anomalo statu consequi.

De sanguine.

Nisi fallor, nemo adhuc, chemia et microscopia adhibitis, sanguinem hominis sudore sanguineo laborantis exploravit neque ipse talem scrutationem institui. Hoc hominum admirationem vix excitabit, quod ne sani sudoris quidem normales partes accurate panovimus, quia, ut aiunt, physiologi, et difficillimum sit, copiam sudoris ad scrutationem sufficientem colligere et collectus sudor cutis particulis et e glandulis sebosis ita fuerit mixtus, ut, quid sudoris sit nec ne, haud facile discernas (cf. Anthropochemie v. Dr. Simon, p. 335). Hoc tamen, ubi chemica et microscopica perscrutatio sudoris sanguinei est omissa, excusationi esse non potest. Namque hic praecipue illud tantum statuendum est, verusne sanguis an nonnullae tantum eius partes in sudore inveniantur. Quod quidem et eum, qui minus talibus in quaestionibus est versatus, diiudicare posse existimo. Sed tamen, sive ea de causa peregrini hac in re sumus, quod tam raro sudor sanguineus est observatus, sive, quod ii, quibus observare eum licuit magna inscitia aut

negligentia fuerunt; ne id quidem constat, utrum verus sanguis, qui est in vasis sanguiniferis, cum globulis sanguinis per illaesam epidermidem possit exsudare, an ruber huius sudoris color attribuendus sit haematino tantum, quod a globulis sanguinis seiungitur. Simon quidem in anthropochemia dicit, in iis rebus, quae ad sudoris mixturam non pertinent, sanguinem vel sanguinis partes cum haematino inveniri. Iam quamvis nemo dubitet, quin vir doctissimus et experientissimus satis instructus fuerit ad accuratam fideque dignam quaestionem de sudore sanguineo instituendam; hac tamen de re me dubitare confiteor, num huius rei occasionem omnino fuerit nactus, id est sudoris sanguinei perscrutandi. Certe enim id in egregio ipsius libro notasset neque ad aliorum experientiam recurrere cum oportuisset, ut, sudorem sanguineum nonnunquam existere posse, probaret.

Quanquam, quod vir doctissimus dicit, verum sanguinem in sudore apparere, refellere non audeam, facere tamen non possum quin vix me credere fatear, sanguinem cum omnibus suis particulis et imprimis cum sanguinis globulis per illaesam epidermidem penetrare posse. Quod ut fieri possit, non solum necesse est, ut vasorum sanguiniferorum tunicae valde laxatae et extentae sunt, sed etiam, d quod etiam difficilius habendum est, ut per epidermidem, solidissimum ceratinum, globuli san-

guinis penetrent. Quanto vero impedimento epidermis sit sanguini penetraturo, eius rei glarum argumentum exstat in morbo Werlhoffii, in febribus petechialibus et in scorbuto, quibus in morbis sanguis (isque ne dissolutus quidem), quanquam per vasorum tunicas se fundit, per epidermidem tamen pervadere non potest, ita ut sub ea maculae sanguinis collectae appareant. Inde coniicio, rubrum, qui interdum iu sudore observatur, colorem plerumque haematino in eo dissoluto effici; tum vero necessarium esse, ut hoc haematinum a globulis sanguinis, in quibus id intra vasa esse constat, antea separetur ideoque ut sanguis, priusquam sudor sanguineus apparet, plus vel minus dissoluta sit. Re vera autem rubri sudores observantur praecipue iis in morbis, qui oriuntur ex dissolutione magna sanguinis, ut in malignis putridis febribus. His in morbis sanguis carens est fibrino, cuius in locum gelatinosum pseudofibrinum successit, quod aegre coagulatur; loco placentae sanguinis nigricans massa mollis et fluida invenitur, quae natat in sero continente turbidas, flavas, rubras partes sanguinis.

Sanguinis globuli, quamquam inveniuntur, aut dissoluti dilabantesque sunt, aut marcidi et angulosi. Quod dilapsi sunt, hoc praecipue premendum esse puto, quia materia coloris sanguinis, ea re in sero dissoluta, cum hoc facilius per corporis inte-

gumenta penetrare potest, ita ut sudor facile rubro colore inficiatur. — Illi quidem sudores sanguinei, qui e consuetis sanguinationibus prohibitis proficiscuntur, ex ea, quam descripsi, sanguinis dissolutione vix derivandi sunt, quum, eam hic locum habere, comprobari non possit. Repressis enim mensibus aut haemorrohidis sanguinis non tam qualitas, quam quantitas mutatur. Nam quum nimia sanguinis multitudo in vasis sit, hae (ut ita dicam) exonerari sese superfluo sanguine volunt, unde vehementibus congestionïbus ea corporis membra afficiuutur, in quibus irritatio quaedam inest. His locis si et vasa sanguinis et cutis infirma sunt (id quod e vehementibus sanguinis congestionibus paulatim effici potest), sanguis hic se effundit. Iam recordanti mihi, quod supra dixi, difficillimum esse, ut integer, non dissolutus sanguis per illaesam epidermidem exsudet, etiam in cutis sanguinationibus, ad extremum perlustratis, praecipue liquidae sanguinis partes, imprimis serum, cum paucis sanguinis corpusculis exiisse videntur. Namque sanguine quoque menstruali scimus paucas solidas partes contineri eumque aut nunquam aut aegre coagulari.

De cute.

Quantumvis dissolutus et tenuis liquidusque sanguis in aliquo morbo invenietur, ad corporis tamen

superficiem exire non poterit, nisi vasis et externa cute antea laesa aut morbo commutata. Quod alterum modo, si quaestio est de sudore sanguineo, in medium proferri potest. Prae ceteris rebus vero vasorum ratio est habenda, quum dubitari non possit, quin aegrota tantum vasa sanguinem emittant. Haec telarum vasorum sanguinis affectio plerumque nulla alia re efficitur in sudore sanguineo, quam ex depravata mixtione sanguinis, quem continent.

Sanguinis enim vasa, quemadmodum cetera corporis organa, sanguine et nutriuntur et servantur. Qui ubi ad hanc nutritionem non est aptus, necesse est ut vasorum cutes extenuentur, mollientur faciliusque perrumpantur. Quare sanguis, praesertim quum propter aliquam cordis functionem adaugentem causam vehementius per sanguinis vasa fluit, facile his perruptis exibit. Haec vero, quam modo descripsimus, vasorum sanguinis conditio sine dubio existit, ubi universalis sudor sanguineus in morbis exoritur, in quibus sanguinem maxime esse dissolutum constat, exempli gratia in malignis putridis febribus. in purpura haemorrhagica.

Talem vero morbum vasorum sanguinis exoriri non posse arbitror, si localis sudor sanguineus, mensibus vel sanguinationibus haemorrhoidalibus impeditis, aut acribus sanguinis congestionibus ad aliquam corporis partem factis apparet. Tum enim

haud dubie crebris congestionibus cutes eorum paulatim amplificantur, molliuntur fibrarumque cohaesio imminuitur, ita ut ad extremum, sanguinis impetui non iam resistentes, prorumpere eum sinant. Iam vero, quod dixi de vasis sanguinis, praecipue ad systema vasorum capillarium esse referendum, per se intelligi arbitror. At hac de re fortasse quaeritur, sudor sanguineus utrum e vasis capillaribus arteriarum an venarum exsudet, quam ad quaestionem vix certe responderi posse puto. Forsitan tamen quaecunque haemidroses e vehementiori sanguinis circulatione nascuntur, ex vasis capillaribus arteriarum; quaecunque vero mensibus et haemorrhagiis repressis apparent, e venarum vasis capillaribus originem ducunt.

Ad efficiendum vero sudorem sanguineum non sufficit, ut sanguis e vasis suis egressus sit. Huius rei dilucidum exstat documentum in morbo, qui dicitur Werlhofii, in scorbuto, in purpura haemorrhacia, quibus in morbis sanguis etsi variis in corporis partibus e mollitis solutisque vasis exiit, in superficie tamen corporis non apparet, quod epidermis (cuius cellas tam arcte coniunctas esse notum est, ut liquor per eam penetrare nequeat), quominus exsudet, impedit, efficitque, ut sub ea rubrae pustulae colligatur. Itaque ut sudor sanguineus exoriatur, necessarium est, ut epidermis antea morbo sit mutata. Iam eam exoriri satis

scimus exsudationibus ad corii superficiem, quae vitiosae sunt, si sanguis ipse, unde veniunt, contra normam mixtus est. Quum autem in iis, quos supra commemoravimus, morbis, in quibus sanguinis mixtio anomala est, ne epidermis quidem adeo est depravata, ut sanguinem ubique exsudare patiatur: credere non possnm, in vivente organismo unquam eam sanguinis dissolutionem locum habere, quae tam graviter totam epidermidem afficiat, ut sanguis ubique per eam penetret. Qua de causa sanguinem iis tantum locis epidermidis exsudare contenderim ia quibus, dum etiam integra et incolumis, est, multo tenuior et tenera invenitur. Quae quidem loca sunt, ubi canales eductorii atque secernentes utriculi glandularum sudores epidermide teguntur. Hanc autem re vera in organa illa inflecti, Wilson in libro, quem de cutis morbis scripsit, manifeste demonstravit neque non eiusdem perscrutationibus epidermidem his locis multo esse tenuiorem constat. Sanguinem, priusquam hic per cutem penetret, antea per sudoris glandularum parietem ipsam prorumpere oportet. Quod eo facilius evenit, quod illa organa, quoad naturali in statu sunt, liquorem e sanguine seiungant, ita ut, textura eorum aut morbis sanguinis aut alias ob causas commutata, facile sudore crassiores partes, dico serum et haematinum exire sinant. Num vero vitiosa functione glandularum sudoris vera sudoris sanguinei secretio fieri possit, equidem non contenderim.

De causis.

Quod ad causas attinet, e quibus sudores sanguinei proficiscuntur, iam supra plurimum protulimus in medium; sed tamen, ut uno in conspectu videamus omnia, paucis eas repetamus. Dubitari non potest, quin sudores sanguinei saepissime, consuetis sanguinationibus aut prorsus aut ex parte aliqua suppressis, observentur; praecipue apud feminas, mensibus prohibitis, tum sanguinationibus haemorrhoidalibus subito intermissis. Alia causa et illius quidem sudoris sanguinei, qui toto corpore apparet, posita est in malignis putridis febribus iisque omnino in morbis, in quibus magna sanguinis dissolutio adest. Tum et universalis plethora quaeque inde violentae sanguinis congestiones in quamlibet corporis partem valentes efficiuntur et vehementer aliqua cupiditate commotum systema vasorum interdum, quamvis raro, sudores sanguineos excitant. Quod tamen ubi evenit, ibi et vasa et cutis ipsa eorum membrorum, in quibus haemidroses oriuntur, antea haud dubio sunt infirmata.

De prognosi.

Prognosis huius morbi melior aut peior evadit secundum diversas, unde nascitur, causas. Plane salutares ii tantum sudores sanguinei, ad partes

corporis pertinentes, sunt habendi, qui vicarientes sunt pro consuetis sanguinationibus suppressis. Salutares enim evadunt, et quod vasa sanguinis, nimia sanguinis, quem continent, copia extenta, onere levant et quod feciles iis mederi potes, quia plerumque, ut suppressa sanguinatio restituatur, sufficiat. Satis salubres et ii sudores sang. sunt ducendi, qui in plethora generali inveniuntur: sed hic quidem ratio habenda est copiae exsadantis sanguinis. Quae vero ad partes pertinentes haemidroses ex vasorum atonia locali oriuntur, semper minus perniciosae sunt, quam quae toto corpore apparent. In his enim semper omnis sanguis tam dissolutus est tantaque vasorum sanguinis et cutis atonia existit atque in tam perniciosis morbis, ut mederi iis nequeas semperque certum symptoma instantis mortis sint ducendae.

De therapia.

Sudores sanguinei quum non morbus peculiaris sit, sed symptoma tantum cuiusdam corporis malae affectionis, certa eius therapia universalis constitui non potest et de morbi primarii cura tantummodo quaestio est. Therapia sudoris sangeinei diversa est pro causarum varietate, e quibus gignuntur. In iis qui ad partes quasdam corporis pertinent, quique e locali cutis vasorumque atonia ori-

untur, externa remedia maxime sunt adhibenda in ipsa aegrota parte. Crebro lavetur aqua frigida, vino rubro aliisque spirituosis, aluminis solutionibus, decoctis corticis quercus, corticis ohinae aliorumque medicaminum contrahentium. In vicarientibus sudoribus sanguineis prohibitae ant suppressae sanguinationes naturales consuetaeque redintegrandae sunt. Quare saepissime ea adhibeas medicamenta, quae valent ad anomales aut suppressos menses feminarum ad normam ravocandos aut certe excitandos. Saepe etiam ut sanguinationes haemorrhoidales suppressae denuo fluant, efficiendum est. Interdum plethora generalis curanda erit. — In his, quos postremo dixi, sudoribus sanguineis raro localis cura locum habebit, praecipue quum sauguinatio non tanta est vi, ut timendum sit, ne aegrotus nimis debilitetur aut sanguis omnis se effundat. Tum ea, quae supra enumeravi, externa remedia contrahentia neque non caustica adhibenda sunt. Multo vero difficilior et paene desperata cura malignorum morborum est, in quibus propter generalem sanguinis dissolutionem totiusque cutis atoniam sudor sanguineus exoritur. Medicamenta interna hic adhibenda sunt: acida plantarum et mineralium: acidum citricum, ac. sulphuricum, phosphoricum, muriaticum et nitricum, aqua oxymuriatica; praeterea alumen, decoctum chinae, ferrum, camphora et valida vina vetera. Externa medicamina

hic interdum indicantur lavationes cum aceto, acida mineralia, tepidae lotiones cum infuxo calami, absinthii et similium medicamentorum aromaticorum; in convalescentia aquae soteriae martiales. Attamen id commemorandum est, rationem curae, quae ad omnes, qui observantur, sudores sanguineos sit accommodata, statui non posse; sed ad propriam naturam primarii morbi esse dirigendam.

ADDENDA.

Quum huiusce libelli pars iam sub prelo esset, Cl. Dom Nasse praeceptor meus dilectissimus animo benevolo sudoris sanguinei exemplum mihi tradit, quod ipse anno praeterlapso in viro quodam hoc in nostro clinico Bonnensi observavit. Non possum, quin illius morbi historium hoc loco addam, paucis tantum verbis, quod tempus valde premat.

Vir nominis Ritter sartor Bonnensis mense Martii anni praeterlapsi in clinicum receptus est.

Maculae rubrae, parvae, non confluentes, congregatae, quae premendo non evanuerunt, primum nonnullis tantum apparebant in corporis eius locis, paulatim vero toto fere in corpore. In parte femoris posteriori magnitudinis erant grossi. Nonnullae earum mox sine ullo vestigio evanuerunt; ex aliis autem praecipue ex maioribus vesicae factae sunt, quae paulo post diruptae sunt et liquorem quendam subrubrum emiserunt.

Deinde his in locis ulcera exorta sunt, e qui-

bus etiam longum temporis liquor coloris subrubri emanavit.

E gingiva ulcerosa nec non e maculis rubris membranae oris pituitariae sanguis profluxit nigricans.

Sputa aderant sanguinolenta. Aliquamdiu etiam urina et faeces sub microscopo non parvam sanguinis copiam cum globulis fere omnibus dissolutis ostendebant. Eodem autem tempore mirum in modum et sudor, quo aegrotus interdum obtectus erat, variis corporis in locis subruber apparebat.

Sumsit aegrotus hocce medicamentum:

R. Ol. terebinth. Ʒjj
Vitell. ovt No. j
f. l. a. c. aq. font. fervid.
emuls. ℥Vjjj
DS. Singulis horis cochlear unum.

In medio mense Maii denique maculae illae rubrae omnes evanuerant, ulcera ad cicatricem venerant et sanguis nullus nec in faecibus, nec urina, neque in sudore postea inerat.

Paulo post autem hydrops anasarca et pedes, crura et femora incidit aegroti, quo ex morbo etiam, nescio quibus medicamentis, restitutus est, ita ut in fine mensis Iunii clinicum omnino sanus reliquisset.

V I T A.

Natus sum Michael Loenartz in vico Ernst ad Mosellam anno huius saeculi vigesimo secundo patre Iacobo Loenartz et matre Maria Margaretha e gente Hausmann, quos vivos adhuc veneror. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis in schola, quae in loco natali est, instructus, gymnasium Trevirense frequentavi et testimonio maturitatis instructus auctumno anni MDCCCXLV in civium academicorum numerum receptus sum Rectore t. t. Magnifico Cl. Deiters; in album gratiosi medicorum ordinis inscriptus sum a Cl. Kilian t. t. Decano spectatissimo. Duos per annos in hac alma universitate versatus, Wirceburgum me contuli, ubi per semestre unum moratus sum. Tum Bonnam reversus, ibi per annum dimidium studiis medicis operam dedi. Deinde per annum chirurgi militaris voluntarii auspice Dr. Moritz Confluentiae et Rastattii functus sum. Bonnam redux per duo haec semestria in studio medicae artis versatus sum.

Professores, quorum scholis et exercitationibus interfui practicis, hi sunt: Bonnae: Viri Cl. Cl. Mayer, Weber, Naumann, Treviranus, Goldfuss, Noeggerath, G. Bischof, Pluecker, van Cal-

ker, Albers, Knodt, Nasse, Wutzer, Kilian, Harless, E. Bischoff. Doctores doctiss. Schaaffhausen, Hoppe. Wirceburgi: Cl. Cl. Textor, de Marcus, Münz.

Quibus viris omnibus, summopere de me meritis, pio gratoque animo gratias habo semperque habebo.

THESES.

1) *Cura symptomatica plane est reiicienda.*
2) *Nomen „inflammatio chronica" e pathologia delendum est.*
3) *Partum arte praematurum in primiparis instituere non licet.*
4) *Acidum Halleri in metrorrhagiis parturientium fere nunquam prodest.*
5) *Docimasia pulmonum minime sufficit ad infanticidium dignoscendum.*